



**Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi
Thomae tomi quinque**

Priorum vigintisex Quaestionum eius Partis expositionem complectens

Suárez, Francisco

[Köln], 1617

Sectio quarta. Quartum argumentum ex variis testimoniis, & signis de
Aduentu Meßiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93775](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93775)

cap. 4. quamquam non desint, qui vsque ad Neronis tempora durasse ex eodem Iosepho lib. 20. cap. 8. affirmant. Dicit autem potest esse vnum, & idem templum, vel quia non omnino à fundamentis, & quoad omnes partes, totum templum destructum est: vt colligi potest, ex eo quod porticus Salomonis vsque ad Christi tempora durauit, vt patet Ioan. 10. Act. 3. & 5. & ex Iosepho lib. 20. antiq. cap. 8. vel quia non simul totum, sed paulatim, & per partes, nam propter continuam illam successionem, & præsertim quando per se non intenditur destructio, sed instauratio & amplitudo, solet iuxta humanum loquedi modum censeris sufficiens, vt eadem domus, vel idem templum manere dicatur.

Ad posteriorem partem respondetur: primum incertum esse, an tantus splendor vltimi templi, cum ab Herode edificatum seu ornatum fuit, vt posuit in ipsa materiali structura cum templo Salomonis comparari. Deinde quidquid de hoc sit, certum tamen est propter solam lapidum magnitudinem, aut pulchritudinem, aut propter diuitias auri, & argenti non posse gloriam illius templi dici maiorem, quam fuerit gloria templi Salomonis. Tum quia, vt bene notauit Rupert. nunquam Deus gloriæ domus sue reputasset, quidquid homo fanestus, & Rex impius operari posset: tum maxime, quia omnia quæ præcipua erant in templo Salomonis, propter quæ gloriosum existimabatur, magis quam propter lapides, & aurum, ea, inquam, omnia huic posteriori templo defuerunt. Huiusmodi autem sunt arca fœderis, quæ 1. Reg. 4. gloria Israel dicitur, & propterea quando à Philistinis capta est, gloria Dei translata ab Israel dicitur. Hæc autem fuit in priori templo, non in posteriori, vt prædictum fuerat per Ier. ca. 3. Diuina item responsa olim in propitiatorio accipiebantur, vt sumitur ex 1. Machabæor. 4. & alia similia, quæ bene profequitur Chrysost. oratione 3. contra Iudæos, & Galatinus lib. 4. cap. 17. Non potest ergo vlla ratione posterius hoc templum, gloriosius dici quam primum, nisi propter Messiam præsentiam, vt optime nostri expositores, & Augustinus lib. 18 de ciuitate, cap. 35. 45. & 48. Chrysost. & alij citati patres interpretantur. Vnde etiam fit, vt insanæ conuincantur Iudæi templum aliud expectantes, in quo prophetia hæc impleatur. Tum quia, etiam si illud sperari posset, non esset verè vnum, & idem cum illo, quod à Romanis penitus euersum est, sed omnino diuersum: de quo proinde Aggeus loqui non potuit. Nihil enim illud referre poterat ad animandos Iudæos, qui instauracione secundi templi laborabant, tum etiam, quia reuera expectari non potest, cum per Daniel. cap. 9. prædictum sit, vsque ad finem perseueraturam desolationem, quod ipsa rerum euidentia, & experientia demonstrat Iudæis. Cum enim sæpe tentauerint templum illud instaurare, Romano etiam Imperatore Iuliano interdum iuuante, nihil vnquam proficere potuerunt, ipso etiam Deo prodigijs, & signis apertissimis, interdum resistente, vt videre est in Chrysostom. oratione 2. contra Iudæos. Euseb. lib. 4. histor. cap. Rufino. lib. 1. cap. 37. Socrate. 3. cap. 17.

SECTIO IV.

Quartum argumentum ex varijs testimonijs & signis de aduentu Messie.

QVONIAM infinitum esset singula Prophetarum testimonia perscrutari, vnum, ac breue argumentum ex cæteris colligam, quod indicat Christus Matth. 11. quando nuntijs, à Ioan. Baptista missis, vt ipsum interrogaret, Tu es qui venturus es, an alium expectemus? Respondit, Cæci vident, claudi ambulant: hæc si aperte diceret, vt me esse Messiam promissum cognoscatis, in me, & per me impleta esse, quæ de Messia prædicta sunt, considerate. Prædictum enim erat, Ortum Messie futurum esse ex Virgine Isai. 7. & tali

Fr. Suarez Tom. 1.

A loco, scilicet, Bethlehem. Mich. 5. & eo tempore quo pax esset in vniuerso orbe. Isai. 2. Michæ. 4. Zach. 9. Rursus prænuntiatus est Ioan. Baptista præcursor illius Malach. 3. Isai. 40. scriptum etiam erat Messiam prædicaturum; pauperibus, captiuis, & contritis corde: suamque doctrinam magnis miraculis confirmaturum, aperiendo oculos cæcorum, &c. Isai. 35. & 61. prædictum præterea fuit, futurum ipsum pauperem, & tanquam Regem ingressurum Ierusalem super asinam. Zachar. 9. Passio deinde, & mors eius; & tenebræ, seu Solis defectio; & alia signa quæ in ipsa contigerunt, ita à Prophetis scripta sunt vt retulisse potius præterita, quam futura prænuntiasse plane videantur: vt constat ex Psal. 21. 40. 68. Isai. 53. Ier. 11. Amos. 9. Zach. 12. & 13. & sæpe alias; & Isai. 11. Sepulchrum eius futurum dicitur gloriosum. Narratur deinde descensus eius ad inferos; & libertas captiuorum iustorum, qui ibi morabantur. Eccle. 24. Zach. 9. Resurrectionem prædixit Dauid. Psal. 3. & 15. Ascensionem vere. 67. Ascendisti in altum, &c. Et Mich. 2. Ascendit pandens iter ante eos. Inde vero missurum Spiritum sanctum, Ioel. significatum est. Denique vocatio gentium, & reprobatio Iudæorum, sæpius à Prophetis dicta sunt: de priori enim dicitur Isai. 49. Parum est, vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & succes Israel conuertendas: ecce dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terre. Et c. 66. Mittam ex eis, qui saluati fuerint, ad gentes in mare, in Africam, & Lydiam tenentes sagittam, in Italiam, & Græciam ad insulas longe: ad eos qui non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam, &c. De posteriori vero dicitur Ierem. 19. Sic conteram populum istum, &c. Et similia sunt frequentia in Scripturis: ex quibus ita concluditur argumentum. Deus prædixit per Prophetas hæc omnia de Messia, vt per ea cognosceretur cum venisset: sed hæc omnia videmus esse completa in Christo: ille ergo est verus Messias, qui iam venit.

Maiores partim in superioribus probata est, partim ex collectis testimonijs est ita euident, vt negari non possit, & eam late demonstrant scripturarum expositores, nobis enim non licet hoc loco latius singula persequi. Minor vero, præter Euangelistarum testimonia, ipsa rerum euidentia constat magna ex parte: nam ex Iudæis fuisse natum Iesum Christum Dominum nostrum, eisq; prædicasse, & mirabilia apud illos operatum esse, ab eis deniq; fuisse crucifixum, & mortuum, nec ipsi Iudæi negant, nec negare possunt, eum res fuerint toto orbe notissimæ, quas etiam Iosephus eorum Historiographus, memorix prodidit, lib. 18. antiq. c. 8. vbi grauissimum de Christo Domino reddit testimonium. Deinde, vel inuiti experiuntur delicti sui poenam, & perpetuam desolationem, à Daniele, Ieremia, & alijs Prophetis prænuntiata: quam enim sæpe propter peccata puniti sint à Deo, & hostibus traditi in seruitutem, semper tamen præcedebant aliqua publica & communia peccata, præsertim idolatriæ, vel neces Prophetarum, & nihilominus captiuitates, & poenæ breui tempore finiebantur, atq; in eis, habebant prophetas, & sanctos viros, per quos Deus, & exhibuit aliqua beneuolentiæ signa, & præbuit semper euadendi spem: at verò nunc, ab eo tempore quo venit Christus, nec coluerunt idola, nec habent grauiora scelera moralia, quam antea haberent: tamen toto hoc tempore grauissime puniuntur, non solum temporali seruitute, sed etiam spiritali quadam & diuina desertione. Carènt enim prophetis, carent miraculis, carent templo, sacrificio, sacerdotibus: signum perfectò euident, eos puniri propter grauissimum peccatum commissum in Christi morte, & incredibili quadam mentis cecitate, & infidelitate confirmatum.

At enim obicere possunt Iudæi, multa alia signa data esse à Prophetis de aduentu Messie, quæ non apparent in Christo Domino completa esse: ergo ex his

B 2 quæ

Galatin.
Bürgen.
Lyran.
Adrian.
F. nus.
Porchet.

Conditiones
Messie, con-
tra Iudæos

Hieron.
August.

Galatin.
Origenes.

Euseb.

Duo Messie
falsi Iudæis.

quæ adduximus, non potest satis colligi illum esse ve-
rum Messiam. Antecedens probant variis testimo-
niis scripturæ male intellectis, quæ breuitatis causa
pretermitto: nam ex dicendis facile expedientur, &
videri possunt in Galatino, & aliis, qui contra Iudæ-
os, scripserunt: vt Paul. Burgen. Lyran. Adrian. Finus,
Porchetus, & alij. Solum sunt nonnulla obseruanda,
ad detegendum Iudæorum errorem, & falsam scri-
pturarum intelligentiam. Primum Iudæos sperasse,
& adhuc sperare, Messiam temporalem Regem, &
potentissimum: magnas item diuitias temporales
ipsis allaturum, ac denique orbem terrarum, sub ditio-
ne Iudæorum subiugaturum: cum igitur hac spæ nu-
triti essent, & Christum Dominum longe alia ratio-
ne, quam sibi fixerant natū esse mortuumque con-
spicerent, haud quaquam persuadere sibi potuerunt, B
illum esse Messiam: propterea nobis obiciunt ea pro-
phetarum oracula, quibus tempore Messie magna
foelicitas Iudæis promittitur, Isai. 6. Ioel. 3. Amos. 9.
Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & comprehendet arator
messorem, & calcator vineam mittentem semen, & stillabunt
montes dulcedinem: prædixerat autem paulo antea: In
die illa suscitabo tabernaculum Dauid, quod cecidit. Sed
isti sensu carnis decepti sunt. Regnum enim Messie,
& foelicitas per illum promissa, non caduca & mate-
rialis intelligenda est, sed spiritualis & æterna: pro-
missa sunt enim nobis per Christum ea bona quibus
non possunt esse aliqua meliora, quæq; salutem verā
hominibus afferunt, & cunctis mortalibus æque pos-
sunt esse communia: huiusmodi autem proprietates
non possunt conuenire temporalibus bonis, sed spi-
ritualibus, & æternis. Deinde, idem Messias aliis pro-
phetarū oraculis describitur, pauper, humilis, & vir
dolorū, & sciens infirmitatē. Signū est igitur, abun-
dantiā honorū per ipsum futuram, non carnaliter,
sed spiritualiter intelligendā esse, vt recte Hier. sæpe
docet super Prophetas, & Aug. lib. de spiritu & litera.
Hinc secundo errant Iudæi, multa, quæ de aduentū
Messie metaphorice dicta sunt, iuxta corticē literæ
intelligentes, quæ cum illo modo impleta nō videant
in Christo, offenduntur. Exemplum est apud Isai. c. 11.
Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hodo accubabit,
vitulus & leo, & ouis simul morabuntur, & puer paruulus
minabit eos, &c. Quæ omnia de feris & animalibus
brutis, ad literā intelligunt. Aliud exemp. ū. est Isai. 2.
Erit in nouissimis diebus, preparatus mons domus Domi-
ni in vertice montium. Vnde colligit in diebus Messie
Ierosolymitanum templū, & montem illum, in quo
fundatū erat, supra omnes montes esse altius eleuā-
dum, vt Galat. supra refert. Similia sunt multa de
bonis, & libertate per Messiam promissis: quia, sæpe
sub metaphora materialium rerum, spirituales pro-
mittuntur: ipsi vero literæ, quæ occidit inhærentes,
spiritum occidunt. Hunc errorem Iudæorum late
persequitur Origenes lib. 4. perier. c. 2. à principio, vbi
optimis exemplis vtitur, ad illos conuincendos. I-
dem hom. 2. in Gen. sæpe Euseb. libris de demonst.
specialiter lib. 7. cap. 8.

Tertio deniq; errant Iudæi non distinguentes du-
os Messie aduentus, alium ad saluandum, alium ad
iudicandum, illum in humilitate, hunc in gloria, &
maiestate. Hinc enim factum est, vt in conciliandis
oraculis de aduentu Messie, multum laborēt, & exi-
tū non inueniant: cum quædam, prædicent illum
uenturum pauperem, & humilem: alia vero ventu-
rum in claritate, & maiestate: Quo factum est, vt qui-
dam eorum duos iam fingant Messias, alium paupe-
rem, alium diuitem, quod vanum & fictitium est, &
scripturæ aperte repugnans. Hinc etiam facile expe-
diuntur quædam, quæ nobis obiciunt non esse in
Christo impleta, vt est illud de Gog. & Magog. Ezech.
38. & illud Malach. 4. Ecce ego mittam vobis Eliam Pro-
phetam, ante quam veniat dies Domini magnus: & horri-
bilis. Nam hæc & similia manifeste de ultimo Iudicij
die intelliguntur. Notarunt hanc radicem Iudaicæ

caecitatis Tertul. in Apolog. aduersus gentes. c. 21. & Tertul.
Cyprian. lib. de idolorum vanitate, versus finem. I-
ren. lib. 4. cap. 56. Origen. lib. 1. contra Celsum, non
longe à hinc. Anast. Nisen. libr. de quæstionib. sacræ
scripturæ. q. 52. & Rabbi Samuel in epist. de aduentu
Messie. cap. 9. & 10. tom. 5. Bibliothecæ.

Tandem, obiciunt nobis Iudæi, quia in scriptura
dicitur Messias venturus nouissimis diebus, id est, in
fine mundi: nos autem dicimus multo ante venisse,
sed hanc locutionem explicabimus commodius in-
fra Disput. 4. dubio. 2. Hæc ergo sufficiunt de priori
principio, quod contra Iudæos probandum sum-
pimus. Plura videri possunt in Tertul. Cypr. Gre-
gor. Nisen. Chryfost. August. & Iuliano Archiepis.
Tolet. libris, vel rationibus contra Iudæos.

DISPUTATIO II.

In quatuor Sectiones distributa.

Christum esse verum Deum, & hominem,
contra infideles.

Riplex est infidelium genus, Hæreti-
corum, Iudæorum, & Paganorum. Hoc
igitur loco contra Hæreticos, & Iudæ-
os, qui scripturas aliquas admittunt,
potissimum disputandum est. Paga-
nos enim mysterio supernaturali, nec
ratione vincere possumus, nec autoritate diuina,
quam ipsi non admittunt. Vnde Iren. lib. 4. contra
Hæres. c. 41. propterea existimat dixisse Paul. Plus om-
nibus laboraui: quia cum esset gentium Apostolus, qui
scripturas non admittent, Christum esse Deum, &
hominem difficultus persuaderi poterant. Possimus
a. rationes illas hoc loco congerere, quibus hæ veri-
tates credibiles euidenter ostenduntur, & secundū
rectam rationem, & prudentiam omnino credende.
Sed hæc generalia sunt toti Christianæ fidei, qua-
propter ne materias confundamus in tractatum de
fide illa nobis reicienda sunt. Vnū hoc loco solum
abnotabo, prophetias, scilicet, omnes, quibus my-
steria Christi tanto antea prædicta sunt, & nunc cer-
nuntur impleta, manifestum argumentū esse nō so-
lum contra Iudæos, sed etiam contra Paganos, vt fa-
teri cogantur omnino credibile: imo credendū esse
hanc fidem à Deo esse profectam, quia nec subterfu-
gere possunt negando libros, in quibus illæ prophe-
tæ continentur antiquiores esse, quam Christiano-
rum nomen: nec possunt suspicari à nobis fuisse con-
fictos, cum euidenter constet à Iudæis nos illos rece-
pisse, & hoc ipsum non solum Iudæis, sed etiam gen-
tes nobiscum fateantur. Vrget elegantem locum hūc
Aug. lib. 18. de ciuit. c. 46. & Hiero. super. c. 16. Isai. &
Theodor. oratione 10. de providentia. Omnis ergo Th
Paganis contra alios infideles, breuiter agemus.

SECTIO I.

Ostenditur Christum esse verum hominem.

Primum omnium, Messiam promissum futurum
fuisse verum hominem, non est quod probemus
contra Iudæos: nihil enim certius ab hominibus illis
existimatum est: quippe omnes supradictæ prophe-
tæ euidenter hoc continent, & omnes alie in qui-
bus dicitur Messias filius Dauid, de semine Abraham,
ex femore Iacob, & alie similes: ac denique verba
illa Moysis Deut. 18. expressa sunt. Prophetam de gente
tua, & de fratribus tuis, sicut me, suscitabis tibi Dominus,
&c. Quoniam vero nonnulli Hæretici, vt Mani-
chæi, & alij, quos infra q. 2. referemus, hoc negare
audent, breuissimè ex Euangelio demonstrandum
est. Ait enim Christus Ioan. 8. Quæritis me interficere,
hominem, qui veritatem vobis locutus sum. Et ibidem
se nominat filium hominis: & sæpe alias, sic cap. 9.
cæcus dixit: Ille homo qui dicitur Iesus, tuum fecit:
quem postea non correxit Dominus, sed vltierius
perit ab illo, vt crederet, se esse filium Dei. Et c. 10.
Iudæi

Tertul.
Cyprian.
Origen.
Iren.
Anast.

Irenæ.

Argumen-
tum ex pro-
phetis con-
tra Paganos.

At
H.

Testimonia
scriptura de
Christo vero
homine.

Deut. 18.
Ioan. 9.